Lukaszkiewicz Ioan. Feliciani: Revolutio fortunata.

R

F

Vi

Patr

D.

C

Pera

Illu

Pr

M.

I

An

CRAC

REUOLUTIO FORTUNATA

Vitæ exigua

Virtutum, gloriæ & Sanctimoniæ immensa,

Patroni Orbis Lechici, Antistitis Cracouiæ,

D. STANISLAI MARTYRIS.

impari & insufficienti panegyri,

pari deuotione & sonte cultu

CELEBRATA.

ac Solenni eius Translationis recurrente Festo

Perauguſti Capituli Cracouiẽſis Nomini & Honori

Illuſtriſſimis Perilluſtribus & Reuerẽdiſſimis DD.

Prælatis & Canonicis Eccleſiæ Cathedralis Cracouienſis

Veris Sanctitatis tantæ Cultoribus

Patronis Munificentiſſimis

PER

M. IOANNEM FELICIANUM ŁUKASZKIEWIC Crac:

Philoſophiæ Doctorem & Profeſſorem, Seniorem

Scholæ B. M. V. in Circulo Cracouienſi

clientali calamo

DEDICATA.

Anno Phœbi Myſtici Zodiacum humanæ Salutis ſcandentis, eclipticâ paſſionis cruentæ cortinâ velati 1690.

CRACOVIÆ Typis NICOLAI ALEXANDRI SCHEDEL S. R. M. Ord: Typ:

In Stemma
PERAVGVSTI CAPITVLI
CRACOVIENSIS.



Ternio, dum geminat meritis sua fulcra Vauelo;
Tunc nitet augusto murice Regis opus.
Nomina tot decorum, Diui si iunxeris ostro
PRÆSVLIS, ô quantus! purpurâ splendor erit.

Stanislaus Słowakowic,
in Alma Vniuersitate Cracouiensi,
Eloquentiæ Auditor.

ILLVSTRISSIMIS PERILLVSTRIBVS & REVERENDISSIMIS

DD. PRÆLATIS CANONICIS totiq; Peraugusto Capitulo Ecclesiæ Cathedralis CRACOVIENSIS.

Dominis & Patronis Amplissimis.

*B*Reue & exiguum Pontificiæ Vitæ spatium, immensum æternæ gloriæ, ad Vos potissimùm spectare & pertinere videbatur; ad quorum spectabat honorem, superstes Concanonicus Vester D. STANISLAVS. Vobis *inquam iure pleno debebatur Vita Ipsius, quam* Vos *non legitis tantùm; sed ex* Vobis *legendam omnibus præbetis: cum sitis veri Virtutum Eius & legitimi Successores. Inuideremus cælo contulisse coronam Martyrii* Diuinissimo STANISLAO, *ni* Vos *videremus in locũ Eius succedere plures* Szczepanouios, *qui; Æthneo amoris Diuini æstuatis incendio, & iugem cruentæ Passionis Christi meditationem, proditis ipso, quod gestatis, purpurato almuzio. Volupè est, Orbi Polono in* Vobis *cernere rediuiuas* STANISLAI *Virtutes, quas; emori cum* D Pontificè *non permisistis, & ne sepulchralibus incinerarentur vmbris vetâstis illas omnes in* Vestra *deuota transfundendo pectora. vtq; diutiùs prorogare possent suam perennitatem, pulchrâ metamorphosi* D. STANISLAI *Vitam in* Vestræ *Vitæ transformastis Virtutes, quas à* Vobis *Orbi communicatas; posteritas alet, ipsa æternitás intuebitur, & serò allapsura secula æternũ victuris celebrabunt æuis. Videmus omnes præclaram Virtutem in* Vestro *Peraugusto Capitulo suam posuisse sedem, suam fixisse securam stationem; dum omnes, in penetrale mentis* Vestræ, *in abditum cordis scrutinium, ne sola incolat solitudinem, admisistis, admissam inquilinam semper fouetis. Pietatem in* DEVM *& Patriam nullo glaciali extinguendam æquore, in* Vobis *veneramur singuli, illamq; murum aheneum & inexpugnabile Vrbis huius propugnaculum aduersus iram* DEI, *passim vniuersi fatemur. Liberalitate conspicuos quis* Vos *esse neget? ex larga eleemozynæ in pauperes distributione, ipsum iam cælum mercati estis, fundâtionibus innumeris, benedictionem* DEI, *imò ipsum* DEVM *emistis. Nullus Cracouiæ Paralyticus reperitur qui* Vos *Homines non habeat; Quæcunq; liberaliter à* DEO *in* Vos *fluxere, illa omnia liberaliùs refluunt à* Vobis *in pauperes, vt meritò ad prodigium vsq; prodigi dici mereamini Attici Pomponii. Lydii cælorum estis lapides in quibus aureum cæli probatum est pretium, & ideo aurum hoc (quod totum, omnium Euchionum respectu illius nec drachma dicendùm est) crebrâ per populum largitione spernitis, diuitũ titulos haud ambientes.* Vobis *nihilominus Munificentissimi Prælati pro tantis be-*

neficiis grandinat gemmis & riguo auro Cælum depluit, accrescentibus diuinitùs nummis quorum plus expenditis quàm impenditis. Somniator veterum Parnassus prodidit: semel olim in aheneam Danaes turrim auro pluisse Iouem, illius tamen imber aureus non adeò copiosus fuit, qui in illa turri inuenit loci angustias, quibus, arctari, claudi, & occludi potuit. Quantò felicius præsens apellare licet seculum quò Vos *Liberalissimi Ioues, in sinus egenorum, pupillorũ aurũ non deponitis, sed effunditis. Munificentia* Vestra *Vastissimus est gratiarum Oceanus, nescius vllis liberalitatis claudi angustiis, quem non modico latice sed inexhaustâ scaturigine manare facitis. In dulci hoc non amaro mari nulli calamitatum fluctus perdurant, & illi pacatissimis diebus, implent Halcyonia quicunq; copiosissimi maris istius aureæ adnauigant Hersonesso. Et quis demum ediserat Vniuersam liberalitatem* Vestram *? quæ ipsi pridem iam innotuit Cælo. Sufficit hoc vnicum calamo scribere:* Vestra Nomina *non* Vestra, *sed cæli esse, quæ* Vos *donastis Superis dispersis prouentibus in pupillos. Et hic scripturiens calamus in venerabundam flectatur obseruantiam* Vestris Nominibus *Patroni Amplissimi. Virtuti enim & Amplitudini tantæ, parem ferre orationem non opis est meæ. Totus ego, non animo sed corpore toto perhorresco dum fundo laudum carentem, tantarum Virtutũ profunditatem, non attingere, quàm profundissima cum veneratione attonitus mirari satago. Quæ* Vos *non exprimitis Vestigia? nullo ætatis obliteranda senio, pietatis, consummatæ prudentiæ, modestiæ, humilitatis, & aliarum Virtutum, quarum decora, non pagella hæc sed Cælum extensum in paginam vix caperet. Sed hæ supra omnium ingenia & calamos, & non nisi cælesti dicendæ eloquio: Verborum typho & cerussâ non egent, cum vnusquisq;* Vestrum *illarum omnium sit sibi amussis & paradigma. Ne ergo, solem faculâ accendere æstimer, vel Oceanum isthmo adimplere, indignius prærogatiuam Honoris tanti exprimendo; ingrediens egrediensq; valuas osculor: & quod initium, hunc & exitum scripti mei perpendo: omnigenæ Virtuti* Vestræ Diuinissimi STANISLAI *Vitam debuisse. Placuit porrò rudes & inexercitatas Vires in laudibus* Diuinissimi Antistitis *experiri, illasq; probare, vt demum felicius & securiùs consistant in* Vestris, *ac demum, hæc est palmaris laus* Vestra *minimeq; aliena esse videtur ab eius elogio quòd* Diuinissimus Præsul *ille fuerit cuius* Vos *modo loca cuius possidetis honores. Itaq; hâc solâ habitâ successione suscipite, quaternionem Elogiorum Ipsius, & Ternioni Coronarum Coronam Martyrij addite: cũ etiam regnet in* Vobis *Ciuitas Sapientiæ in Quadro posita. Mihi tandem clienti* Vestro *fauere omniumq; nutibus mancipatum ad obsequia* Vestra *damnare, innato patrocinio & singulari beneuolentiâ prosequi non dedignemini. hocq; propensissimorum obsequiorum meorum sons symbolum sereno vultu acceptate. ego verò pro fortunatissimis* Vestris *successibus & dierum longitudine continuis Votis Cælum fatigabo, hoc solo respectu & motiuo: quia*

Illustrissimarum Perillustriũ & Reuerendissimarum Dominationum.

obligatissimus & æternus cliens.

M. IOANNES FELICIANVS ŁUKASZKIEWIC,
Phil: Doct: Prof: Senior Scholæ B. M. V.

E L O G I V M I.

Conſcie paruitatis ſuæ Calame

poſt mortem Diuorum vitas non vitare, ſed loqui aſſuete,
in ſanguineo Diuiniſsimi STANISLAI Cataclyſmo,
age ſepiam.
Plus hic cruentæ loliginis quàm atramenti effunde.
Hanc in paginam, non Caſtalim ſed Rubiconem eliqua.
Pōtificiâ & Martyrij inſignis Purpurâ STANISLAUS
pretioſius Erythreo, immenſum emenſus æquor
& totus ſanguine merſus.
paludamentum ſibi ex ſe ipſo fecit,
proprij cruoris purpuram habuit,
Sanguineo murice, Pontificiæ purpuræ;
pretioſius conchylium dedit.
Suo in cruore naufragium fecit,
cuius Martyrium, mare rubrum licuit apellare.
Iterum age rerum calame,
& hanc ſulcantem æquora cymbam
Laudibus onuſtam ſolue à littore nauim.
Martyrij enim iſtius mare, innocuo tinctum ſanguine
immenſū ſpatiis, nititur conficere laudator calamus.
Luctare tamen in altum penna,
per cryſtallinas pudoris Parthenij aquas, vola arundo:
antequam cruentum diluuium Martyrij exundans Propontide
pernici pennâ attingas.
Pneuma Diuiniſſimum volucris fellis neſcia
etiam ſuper has aquas ferebatur.
Quas ille ſiue ſudorum gemmis, ſiue Hippocreneis amnibus
copioſiores reddebat.
Speculum labis neſcium, terſum, illime,
puriſsimam cryſtallū nemini inuitam,
vitam Diuiniſsimi STANISLAI dixeris:
Quam in prima exortûs ſui aurea horā
orditur ad fontanalia & puteum, ut putes;
illam futuram eſſe ſolis intelligentijs vicinam,

 humana

humana omnia supergressam, totam crystallinam
totam lucidissimam.

Cernebatur quippè in suo limpido, tàm perspicua,
quàm in ortu aurora, vel inter ignes Luna minores.

Fauit huic Lucina, licet tricesimo coniugij anno;
Diuinum hunc Infantem, publicæ exposuerit luci.
Vt magis Festum reddidisset non festinabat.
quò enim Mater annosior; eò fæcundior fuit,
Diu sterili Matre serò nasci debuit,
fœcundissimus Verbi Diuini Filius
Diuinitùs impetratus, & per vota quæsitus, qui optabatur.
Maturato & senescenti æuo Mater BOGNA siue Bona
Optimum hunc peperit Filium
sine dolore;
quia post modum nihil gesturus erat
dignum dolore vel lacrymis.
Sub gelida hibernantis Boreæ Arcto,
Vitales captare cæpit auras,
totus ÆTHNEUS totus igneus, ardens amoris Dei Vesuuius.

Alluit nempe Illum zelus virtutis fomite gratiæ
vsq; ad arsuram tota æternitate lucernam.
Zelus Domus Domini comedebat Eum
in causa Dei & in negotio Ecclesiæ
zelotem acerrimum.

Sub triumphali dimidiatæ Crucis Labaro,
labilem orditur vitam impauidi pectoris Aiax
vt eandem non finiat; nisi sub cruento victoris Dei trophæo.
Vitæ exordium in rubeo campo auspicatus,
ostensurus illius exodium in cruento Martyrij Theatro.
E tenebris Materni carceris
ceu ex Vmbria, clarus prodiit.
Phebeos vitæ Sanctissimæ sparsit radios
lucidiores Poloniæ accendit dies,
Titanius veluti Ales.

In

In vtero Materno magnis innutritus ſplendoribus,
cuius tenellum corpuſculum ;
etſi aliquot menſium ſpatio, Maternus claudebat uterus:
Virtutes tamen quas ſyderei decent ignes
Splendidissimum non celabat Cælum.
Non poteſt enim tanta celari natura,
cuius cælatæ dotes non Trophonii antra, aut Tænarios indagant receſsus,
ſed publica petunt aprica
Structilia gloriæ Septizonia.
Eminentem Natalium claritudinem
Nobilitatis Polonæ cognatione auctam,
à ſe Magnus, factis Illuſtribus extendit.
Quâ Nobilitatis quâ Virtutis generi immiſtus,
á neutro degenerem ſe
quoad vixit probauit.
Retulit maiorem Genitoribus gratiam ſui ortûs,
qui in originem ſuorum,
propriâ magnitudine influxit.
Nobiles Parentes geſtorum & Virtutum iubare Illuſtres,
Nobiliores reddidit ortu ſuo.
plus ornamenti & lucis illis tribuens,
quàm accepit.
In illo, paria indicijs initia, pares initiis progreſſus fuêre.
Vitæ exordium Virtutum epilogus
potuit apellari.
Vix natus, & omnibus ſanctitate notiſsimus extitit.
Magnus parui corporis Hoſpes,
geniturae ſuæ horoſcopo, æternæ ſalutis hoſtes,
Erebi monſtra terruit.
Ingentes olim impleturus faſtos
in ipſis quoq; Infantilium cunarum faſcijs
Sanctimoniam omnem, non dubiis ſpebus,
cum linguâ non poſset;
Vultu, oculis, nutibus, pandebat.
Sancta & religioſa natura nec in Sancto Puero latuit,
teneriori enim perfunctus infantiâ

 comper-

compertus est:
Mollem culcitram cygneæq; lanæ deseruisse stragula.
hominem se fassus,
in nuda humo aut paleis quietis residuum exegisse
In iuuenili etsi ætate,
Sardonio nunquam indulsit risui
in ore & sermone eius, grauitas & modestia suam posuerunt sedem.
In eo, pudor ingenuus in officiis collocandus Angelicis
quem ob intactam & illibatam puritatem,
in Cælo nasci decuisset;
ni eò, cum illa transferri fuisset gloriosiùs.
Omnia quæ egit, plùs quàm Euristheo egit amore,
æstu charitatis Diuinæ succensus.
Et quis in tanto pectusculo,
tanti amoris arsisse Æthnam crederet?
qui contrariâ etiam naturæ lege,
quod contra ætatem est,
calidius erga DEVM *admittebat temperamentum.*
O felicia secula! quæ talem edidistis Infantem,
qui Orbem totum impleuit,
non corpore quidem sed nomine.
O fausta dies! niueo notanda lapillo,
quæ tam lucidum Iubar vasto explicuisti Orbi.
Tu verò Diuine Pusio, cresce: Cælo maturesce:
inuola Aquilarum nidum Gnesnam,
primas ibi studiorum tuorum inchoaturus velitationes.
Parisiis tandem vlteriora eruditionis Tuæ,
documenta daturus.

ELOGIVM II.

Altius progredere calame
epheborum transgressum ætatem Diuinum Infantem,
ætatis amænæ floralia,
ad Parisina transferentem Vireta
celeri cursu sequere.
Prætextati STANISLAI togata Virtus,
deli-

delitescere domi nòn potest,
quam amplissimus euocat Orbis.
Magnus vbiq; STANISLAVS
maior tamen in ampliori Orbe;
quia in vna Orbis Poloni circumferentia capi non potuit,
idcircò: Orbis totius integram requirebat peripheriam.
Virtutum Tuarum contubernium
iam aliam quærere debet Coloniam,
ô Sancte Puer.
Nullus quippe in Polonia locus cernitur,
quem TV in iuuenili hac ætate,
senili virtute nòn adimpleas.
Nòn capit Te Tuum Natale solum Orbis Lechicus,
ergò iam Pellæo cum iuuene Diuinior Macedo
aliud Tibi Regnum quære;
ut illud stupore & admiratione
in maiorem diducas amplitudinem.
Gemebundam quidem turturem aget Patria
tanto orba Filio:
cuius doloris magnitudinem,
diffusâ Tuâ per Galliam famâ lenies,
& fortunato reditu.
Vernantissimum ætatis Tuæ viridarium
spirans suauitatis odorem,
transfer in liligerum Galliæ sinum:
Vt pulchrius Tui pudoris Pæstæ
inter has floreant Hyblas.
Autumnum in vere, maturum in iuuentute Tua animum,
præsenta toti Galliæ.
Meridiem in aurora accende alibi.
Parisina vireta, Tuâ confunde fragrantiâ.
Adijt porro ille Exoticos exterarum gentium soles,
nòn vt splendorem acciperet, sed vt inferret.
nòn vt colligeret ex alijs
sed vt colligenda ex se virtutum exempla traderet.

Sequi quodammodo Sequana, sorbere Sorbona
morum eius elegantiam videbatur,
non tamen potuit:
cum hæ admirandæ dotes à solo Cælo,
soli, concessæ fuerint STANISLAO.
Post Gnesnenses Musas Parisinam tandem salutat Palladem,
nouus Heros in sublimiori Lycæo
sub eiusdem militaturus Vexillo.
Non consistebat sub modio, qui lucubratione continuâ,
voluebat & reuoluebat librorum volumina.
Laudando Ipsius Nomini mille non sufficiunt pandectæ
dum insigni in Canonico Iure profectu claui veluti
Sacrum Diuæ Themidis recludebat pectus,
Astrææq; docto fouebatur in sinu.
Theologicam ibidem rimabatur abyssum,
quam antea etiam plenâ absorpserat amystide
traditam sibi à Supremo Magistro.
quia Deum ante scientiam
se ipsum ante doctrinam nôsse didicit.
Quantùm ibi Magistrâ sapientiâ profecerit? disce.
Eruditio cum multos inflare soleat
eundem non inflauit.
Quem etsi doctissimum non ignorabant singuli
ipse tamen profundiori ex humilitate
se multa ignorâsse dicebat.
Plurimi sapientum desipiunt
qui cum multa sciant se ipsos nesciunt.
Multi ad lyram Apollinis delirant
dum viscosis terrenorum irretiuntur vinculis.
Dalilarumq; illecebris noui catenantur Samsones.
DIVINISSIMVS STANISLAVS
cum triplici quoq; hoste felicem expediuit monomachiam,
propriæ fortitudini, eundem in hostiam litaturus.
Multis vndiq; vallabatur Syrenularum cantibus.
Vndiq; plantis suis, tensa voluptatum numerabat retia:
Ah! saluum tamen tantis se subtraxit flammis,

igne-

igneisq; accinctum sagittis Cupidinem
feliciter extinxit
incontinentiæ Gloriosus Triumphator.
Merebatur talis tantaq; virtus plures coronas,
quæ pulchrius tempora Diui redimirent victoris.
Ipse tamen nec vnam lauream prensare voluit.
spretis omnibus,
spineam vitæ austeræ adamabat coronam
Sed ô Cæli! parate pulchriores STANISLAO corollas,
nectite serta, offerte vittas & tænias,
illasq; candidissimis distinguite liliis;
vt coronata Virtus in STANISLAO triumphet.

ELOGIVM III.

Antea quot annos tot nacta dolores,
nunc fortunata læta Polonia
occurre Reduci Diuinissimo STANISLAO.
Iterùm Tibi rediit cum illo felicitas
Septimo etsi anno sera, sed seria.
Lætâ tandem agnitione, & salutatorio Aue
ingenti felicitati succumbe.
Ales magnarum alarum Polona Aquila
Volucrem Tuam agnosce, quæ non tam per Orbem volabat,
quàm Vitæ sanctitate in ipsa Cæli cærula inuolabat.
Resera Tuas tergeminas portas
Lætabunda Cracouia,
hactenus clausas habuisti, alienas terras incolente STANISLAO
hodie iam securior patentem & reseratam turrim præsenta,
in illa, nouum Excubitorem habitura.
Tu sola vnicam nacta es fortunam,
quam sinistro satis oculo aliæ intuebantur Ciuitates;
Redux Româ STANISLAVS
Te suæ personæ recreauit Maiestate
et hinc fauorem Cælitum & benedictionem Dei cognosce;

Viuis Sanctitatis suæ relictis Vestigiis in alieno Orbe,
in proprio tandem, eadem relinquenda decreuit.

Ab exteris Syrenibus cautus hic Vlysses
vt adhuc cautior extitisset in Patria,
nequaquam in lubricæ ætatis licentia lapsare volens;
Viscata plerumq; mundi lenocinia,
Vitæ integer pertransire volebat.
Mundum (qui nihil in se præter nomen mundi habet)
sibi struentem insidias spernebat.
sæculum quod multos deserit à se deseri conabatur.
Austeram meditabatur vitam
Totus in DEO positus, solâ innocentiâ candidus
Diuino feruore candebat.
Paradisum in terris, Vitam Eremiticam
Anacheroticam, Solitariam, imò Angelicam
omnibus mundanis anteponebat deliciis.
Optimus rerum terrestrium Æstimator
Honores, Sanctorum horrores
fortunæ vices, æternæ salutis vibices,
Dignitatum fastigia, Cælestium fastidia
constantissimè apellabat.
Habuit eo tempore Cracouiensis Cathedra,
Æmonio, Vigilantiorem Pastorem LAMBERTVM
Spectatissimæ Vitæ Pontificem,
Verum Pastorem non mercenarium.
Qui obseruatis in STANISLAO Virtutibus
illas Canonicis fascibus dignas,
illas ex asse Capitularibus Coronis,
adornandas censuit.
Fugiebat honorem tantum STANISLAVS
quem effugere non potuit
cælesti sic disponente nutu;
& qui inuitus ac mœstus huic se subiiciebat honori;
libens ac lætus, ingenti prædicationis oneri,
humeros Atlantæos subiecit.

In

In Cathedrali Ecclesia Magnus verbi Diuini Præco
omnia Diuina, omnia cælestia,
& Devm sapientia Verba aureo ore fundebat.
Mortalium pectora glaciali rupe,
lætali peccatorum frigore constricta
Diuini amoris igne, inflammabat, accendebat,
Optimus incendiarius.
Nunquàm egit bombijcem frustraneum,
in sericea se euiscerando verba,
sed tonantem Periclem; fulminabat, animos
aspera obrigescentia corda triumphabat.
Suffecisset prædicatoria suauis suada STANISLAI
Hypponensi Antistiti Augustissimo Doctorum Augustino;
eiusq; satiâsset aures, nec habuisset in Votis,
Paulum in ore:
si ex suggestu Ecclesiastico perorantem audiuisset STANISLAVM.
Deploratæ & moriturae in Christianis pietati
Diuinior hic Æsculapius efficaci dictionis suæ medebatur pharmaco
aduersis Religioni Symptomatibus,
salutari succurrebat antidoto.
Intoxicata impuræ vitæ aconito mortalium corda
cardiaco Prædicatorii nectaris reficiebat epithemate.
Lethargo deprauatæ Vitæ correptos,
Incubo Dæmoniorum oppressos
felicissimâ prædicationis suæ sanabat medelâ.
Sic in Ecclesiasticis rostris clarebat sic triumphabat.
& cum talis esset;
studebat magis ignorari quàm agnosci
Senili tandem & fessâ LAMBERTI ætate,
in occasum mortis vergente,
ZVLA claudente oculos in mortem,
CRACOVIA aperiente in lacrymas,
ex concordi omnium voce & voto
pár Neruæ Traianus Atlanti Hercules
pr opitijs sideribus bonis auibus

in

in nouum Paſtorem eligitur Diuus STANISLAVS.
Hem? quantam hic boni Superi obſeruabitis humilitatem,
quantam perenni ceſtro annotabitis modeſtiam,
quantam in fugiendo honore reluctationem;
ſtupebis Polonia!
Abſtemius felicitatis tantæ, recuſabat oblatum honorem
ſublime Epiſcopatûs faſtidiebat faſtigium,
nauſeabat fortunam, fugiendo honorem tantum
Oſtiatim Capitulares adeundo ſubtractionem ſibi votorum petebat.
verùm Optimus DEVS quem gregi ſuo Paſtorem deſtinâuit,
eundem obedientem tanto honori eſſe voluit.
Honorq; eius magis conchylium modeſtiſsimo vultui
quàm Pontificiæ addidit purpuræ.

Auguſta Regum Coronatrix,

Omnium in Orbe Polono Triumphorum publicum Theatrum,
æquè Sanctorum & Eruditorum gazophylacium,
in Prole ſua per Vniuerſum Orbem diffundens archeum;
Vnicum totius Sarmatiæ cor Cracouia:
magnificam ſortem fortunamq; Tuam agnoſce,
feſtiuo plauſu gloriare.

En altâ deſtinatione Superûm

in vigilantiſsimum eligitur Tibi Euthyadem,

SANCTVS STANISLAVS.

Quantùm decoris, ornamenti, ſolatij, præſidij,
in Diuo Antiſtite habeas; volens fateare.
Exſomni hoc Paſtore vigilantiorem nec habuit
nec vnquam habiturus eſt Orbis.
Ille: ex quo Tibi præeſſe incepit
ſibi eſſe deſiit.

Hæc Tua hilaria, hi læti dies

quibus nouum veneraberis Hypeccauſtriam.
Excubans in triumphali porta Aquila,
da Tuo Antiſtiti ignes feſtiuos non fulmina;

Te ipſo altior Vauele aſſurge!

propriam auſpicanti Epiſcopam Diuo Pontifici
in plauſum attolle Tuum uerticem

Pon-

Pontificiâ magis ſuperbum Infulâ,
eundemq; iterùm in venerationem maiorem demitte.
Vrbis iſtius Incolæ geminate plauſus veſtro PRÆSVLI:
fulcite omnes floribus, roſis, lilijs, calles;
vt quidquid calcauerit STANISLAVS,
pietatis veſtræ roſa fiat.
Vias obſidente populo,
& ſolennem, Pontificiæ inaugurationi apparatum,
conquirente CRACOVIA
eandem Capitolinam ceu Arcem,
Sanctus & manſuetiſsimus PRÆSVL ingreditur.
Hîc pulſa ex altis turribus æra ſonant,
inde caua metalla ingenti reboant fragore.
igne luminibusq; micant viæ.
Turres accenduntur Phariæ.
Vbiq; plauſus, vbiq; triumphi, feſtiuæ acclamationes
fauſta acroamata feſti nobilium occurſus.
Tota lætabunda, tota geſtiens
tota tripudians videbatur CRACOVIA
Huius tam illuſtris pompæ & magnificentiæ
tantorum apparatuum,
Modeſtiſsimus PRÆSVL,
nec vmbram ſecum ferebat.
Mirata eſt Cracouia! tantam in Diuo PRÆSVLE modeſtiam
tantum terrenorum contemptum,
tam paruum de ſuo honore ſenſum,
tam profundam celſitudinem.
Inuaſerat ante Pontificem religioſa pietas Pontificis Aulam
vt ædes quas poſſederat vltima dimitteret.
Aulæis nudauit aulam, faſtum Palatio, proſcripſit:
conſuetam vitæ auſteritatem,
in Curia noluit eſſe curioſam.
Inquilinas ſemper virtutes habuit,
quas numeroſas ſatis loco alterius fouebat ſatellitij
hoc comitatu, ſæpiſsimè gloriabatur.
Stateram nunquam tranſiliit

vati-

rationem & legem nunquam transgressus
& aduersus solem loqui nunquam visus.
Iustitiam inuiolatam reliquit
qui æquo libramine diuitum ac pauperum
causas tractabat.
In eo lucebat humilitas vltima,
mansuetudo ineffabilis, miseratio immensa,
totumq; ipsius pectus
vniuersis patebat virtutibus.
Nouerunt omnes ardentissimum Numinis amorem,
in eius pectore, & zelũ circa honorem DEI,
alterum igniuomum fuisse Vesuuium;
qui in dies magis ac magis ignescere videbatur
toto etiam Oceano minimè extinguendus.
Ob tantum zelum, feruorem, ardoremq; Diuinum
nomen ignei vendicabat sibi Heliæ
Quoadusq; vitales ducebat Spiritus,
Angelicam ipsisq; intelligentijs parem
tractabat vitam,
illibatum pudicitiæ seruando candorem.
Omnium Sirtharum, Sinaldorum, Melanionum,
niueum liliacea mentis prætergressus ebur,
Cælo cupitus cæli cupidus, totus cælestis,
scelestum & lenocinantem prostrauit Cupidinem.
Lyram illotis manibus non attingendo,
nunquam sine farina sacrificabat
nec libabat ex non putatis vitibus DEO.
Ingenuus Aquilæ Polonæ Pullus
non laborabat vnquam amaurosi
nec ullam admittebat nictyolopiam,
sed semper in mendicabulorum satellitium
irretortum vibrabat oculum:
in paupere, mysticum Phæbum visurus.
Illum numerosi orphanorum cætus
alto ore & deuoto suspirio ipsos quatiente Cælos,
maximum inclamabant Patronum,

Sum-

Summum vocabant Apollonium
qui miserabiles pupillos veluti delicatas pupillas,
fouere sciret.
Disce ex vita & virtutibus eius,
quàm magnus vitiorum, quàm maximus,
Stygis hostis fuerit:
Siquidem ille vel minimam etiam noxam,
de sede alterius pectoris eliminabat.
Porrò illo tempore, Regium Sceptri decus, Diadema,
Purpuram & Fasces Poloni Imperij tenebat BOLESLAVS,
heroicorum gestorum magnitudine,
nimiâ bellandi cupiditate,
Audacis nomen sortitus
BOHEMIÆ, SILESIÆ, HVNGARIÆ, PRVSSIÆ DEBELLATOR
sui nec semel victor.
Ex aliorum victoria, plures referebat coronas,
de se ipso nec vnam quidem retulit.
Pulchrum victoris nomen infamauit turpiter,
nunquam virorum semper sequioris sexûs
obnoxius victoriæ.
Martem Veneri, turpi affinitatis sociabat fœdere
Gradiuum similiter Cypridi concatenabat,
Alexandrum quidem egit, sed qualem Persepolis habuit,
Evandrum sed qualem catenabant Nicostratæ lenocinia.
Verùm pudet pigetq; scribere nefanda,
in quantam hic Princeps abierit licentiam.
Seuerus tametsi alijs sibi Iudex iniquissimus.
Obstitit his audacibus BOLESLAI ausis
Pontifex Diuinissimus.
vehementissimus jn causa DEI factus Orator.
Optimè edoctus aurum purissimum esse Principem
qui studeat puritati affectuum.
Cytharam in qua si vel vnica fides discrepat,
concentus & harmonia tota perit.
Librum ex quo praua pleraq; à subditis leguntur.
BOLESLAI malæ conscientiæ, scelerisq; sui consciæ,

bel-

bellum indixit Optimus Pontifex:
IOANNIS BAPTISTÆ, Euangelicum non licet detonando
Infremuit ad fulmen hoc Regnator Enceladus;
Eumenidum agitatus furijs Cerberi adinſtar
intra ſe ringebatur crambe decoctâ moleſtiora ferendo monita.
& cum non habuiſſet anſam infeſtandi
Æquiſsimum PRÆSVLEM,
Ei: iniquum Ius, in Bona Petri
per cauillationem obiicit.
Inter hæc iniuſta litigia & iniqua litigantis genii iurgia,
ne bonâ cauſâ, Innocentiſſimus caderet PRÆSVL
eundem, reſurgens è tumulo PETRVS,
à calumniis viuo teſtimonio erigit.
Poſt has apparitiones thaumaturgas
& prodigioſa teſtimonia,
in peius ruituro Principi, iterum crebras admonitiones
inſtituere non deſueuit, PRÆSVL Sanctiſsimus,
mortemq; pro nihilo ratus, non proficientibus verbis
ſceleſtum Principem iuſto feriit anathemate.
Tygridum paſtus papillâ
immani Leonum nutritus vbere
omni enormitate infamior BOLESLAVS,
in Paſtoralia monita, cruentâ cæde,
inauditâ tyrannide effreni truculentiâ
omni crudeliori feritate deſæuiit.
Vt verò Marpeſiâ Rupe, duriùs crudele cor oſtendiſſet;
Rupellam adiit, & ibi obrigeſcentibus alijs
& exoculatis militibus
ipſe omnigenæ nequitiæ primus oculatus Princeps,
furijs ſtimulatus vltricibus,
ad aram ſtantem STANISLAVM,
crudeliſſimè hanc victimam Cælo immolauit.
O furor! o veſania! ô atrox truculentiæ tyrannidis piaculum!
ô crudelitas! ô inaudita ſæuitia!
ô immitior Tyciano vulture BOLESLAE.

Sicci-

Siccine hoc Innocentiſsimi Diui Pontificis Corpus
à te, in ſperſilia fruſta diuiditur?
Siccine innocui corporis membra, diſiiciuntur in campos?
Eheu dolor! veriùs ingens doloris tormentum!
Extabeſcite hic in lacrymas oculi extabeſcite!
qui hæc legitis lugete,
& exundante, per campos, per arua
Innocenti, STANISLAI ſanguine,
pleno lacrymarum diluuio
Polonus exundet Orbis.

ELOGIVM IV.

Buccinatrix adeſto Fama,
excubantium ad Corpus Diui Martyris aquilarum
volucribus pennis, ſuper æthera euecta;
ſtentorem hîc, hîc tubicinem age.
Poſt mortem Diuiniſsimi STANISLAI
virtutem ſuperſtitem tubâ clange
Miraculorum & Martyrij gloriam
Vniuerſo Orbi pange.
Hic eſt PRÆSVL SANCTISSIMVS STANISLAVS
Qui, vt viveret zelus, Religio, & amor Dei,
Sanguinem totum dedit,
eo ipſo non ex-ſanguinis periit,
magis ſpirituoſum ſanguinem
in Corpus Eccleſiæ transfundendo.
Effudit ſpiritum vt Religioni ſemiuiuæ inſpiraret
poſt fata etiam victurus in animis mortalium.
Tardante Lacheſi vitæ eius filum
Audax BOLESLAVS machærâ præcidit
Illiq;, cruenta nece triumphalem accelerauit obitum.
Minutiſsimas integerrimi Corporis partes
Sceleſtiſsimus Princeps per arua ſparſit

Sed jam in vberem gloriæ meſſem excreuerunt.

Ex nobiliori Corporis ipſius ſemente

non ferales taxi aut cupreſsi

quàm triumphales palmæ, nobiles pullulauêre lauri.

Ex ſacro & innocentiſsimo ipſius corpore

vigilijs, flagris, & ieiunijs macerato,

plus gloriæ quàm ſanguinis emanauit.

Quævis vltima cruoris eius gutta,

in immenſiſſimum effuſa eſt laudum Oceanum.

Victorem ſe non victum probauit

triumphato omni reſpectu,

non blandiendo erroribus,

victoriam & triumphum meruit.

Maluit ille in terra non vivere

quàm pietatem & religionem mori.

Ne forte ad lapidem offenderet pedem ſuum religio,

prius ille mortali inſtitit petræ,

in vitæ calce, exitialem nactus malæam.

Viuus, BOLESLAO ad eluenda ſcelera

pænitentes exprimere lacrymas non potuit,

Mortuus, eidem Regi Carinthiæ in quodam cænobio

lacrymas iuges elicuit.

Purpuratus Pontificio murice vixit,

Martyrij etiam decoratus Purpurâ

Cælum adire voluit, vt illam efficeret dibacham.

Regem de vita arguere, nec poteſt mortem deſiit,

cuius tepidum in Deum feruorem

ardentibus aquis confundebat.

Sic enim bonitate Diuinâ in Sanctis ſuis oſtendente miracula

in proximum lacum proiecto, dextræ Eius digito

& à raptore piſce tecto

Cælum ſuperno non defuit lumine.

Frigidum aquæ elementum nullam paſſum antiperiſtaſim

ardentem admiſerat flammam,

&

& extra Mutinenses agros in Polonis campis
frigidissimam aquam accendit;
priùs ad extinguendos, BOLESLAI Cyprios amores,
postea ad accendendam in corde Eius Diuini amoris flammam.

Collige hinc quisquis es:

exoculato talpâ magis cæcum fuisse BOLESLAVM
qui ad Illustrissimas faces monitorum

Diuinissimi Pontificis,

grauissimos suos errores videre nequibat.
Diui quippe Pontificis, non viui sed mortui corporis contactu,
prædicti fontis vndæ,
pluribus Euritis & Aristodemis
imò ipsis cæcis Isaciis,
efficaciora Galenisticis exhibent collyria.

Et iam subsiste calame,

ampliora, Diuinissimi Pontificis miracula ne quæras
quæ omni tempore, omni horâ, imò quolibet minuto
ad Sacra Ipsius Lipsana inuenies.

Claude vltimâ periodo
breuem vitæ immensam gloriæ reuolutionem hanc fortunatam,
ad cuius deprædicandas Virtutes,
Cælum, quot sydera tot ora aperuit.

Augustum hoc Sanctissimi PRÆSULIS Nomen

exiguæ huius pagellæ conclusum angustiâ,

Vos omnes Poloni,

pronis in venerationem pectoribus,
conclusum tenete.
Ego verò, si quidpiam in vitam eius deliqui scribendo:
id totum, non calamo sed toto corde,
corrigam amando.

Ad M. D. G. B. M. V. H. SS. V.